

Ad id est, vitam tuam, ne hostium vel insidijs, vel impetu succumbas. Deinde concludunt: Dominus custodiet egressum tuum, & ingressum tuum: hoc est, Ducat & conseruet te eundo ac redeundo, non hoc tantum, sed & futuro quouis tempore, vsq; in seculum.

Ad hunc modum videtur mihi præsens Psalmus exponendus: nolim tamen repugnare, si quis illum peregrè aliquò profecturis, à sacerdotibus ac Leuitis accommodatum fuisse putauerit. Etenim facile crediderim id moris fuisse in Israël, vt qui peregrè abituri essent, primùm in tabernaculo Dei comparuerint, & auxilium à Domino, vel precationibus, vel etiam oblationibus expetuerint: & in hunc vsam præsentem hunc Psalmum, & alios consimiles fuisse à sacerdotibus ac Leuitis vsurpatos.

Leuo oculos meos ad montes.] Obserua hîc, quò ferantur piorum oculi, dum opus habent auxilio. Ad montes, inquit, leuo oculo meos. Altissimi quidem sunt cælorum montes: verùm haudquaquam inaccessi oculis eorum, qui auxilium sperant à Domino. Alij exponunt per montes hoc loco cælestes ciues, & sublimes potestates, angelos scilicet. Verùm piorum oculi non tendunt ad angelos, sed cælos, tanquam arcem illam veri & vnicui Dei: nimirum eò, quò cordis fiducia dirigit.

Vnde veniet auxilium meum?.] Vide pium bellatorem. Quamuis nec inermis, nec sine copijs ad bellum egredere, iudicabat tamè opus sibi esse maiori ac firmiori auxilio, quàm vires humanæ præstare possent, nimirum cælesti. vnde & dixit: Vnde auxilium meum? & simul oculos in cælos extulit. Nostrorum principum oculi ad bene armatas copias, & belli apparatus diriguntur, & inde victoriam futuram putant.

Auxilium meum à Domino, qui fecit.] Obserua, quid in Deo spectet pius rex, vnde sibi futurum auxilium speret: omnipotentiam videlicet, & potestatem vniuersalem in omnia. Sic enim Scriptura de Deo prædicat, quòd cælum ac terram fecerit: vt inculcet, in ipsius esse potestate omnia quæ in cælo sunt, & in terra. Rectè ergo, quibus aduersum potentes huius Mundi diuino opus est auxilio, id in Deo considerantes, quòd cælum & terram fecerit, fidem suam ac fiduciam confirmant. Sic & Apostoli Act. 5. fecisse leguntur.

Non dabit.] Duobus istis versibus, 3. & 4. admonemur, qualem custodem habeant pij. Custode dormiente nihil èt inanius, imò nihil periculosius: nam non solùm non facit officium, sed & perdit eos, qui ipsius fiducia securè agunt. Rursus, custode vigili ac fideli, nihil preciosius illis est, qui periculis sunt obnoxij: præsertim si non solùm vigilat, sed & pericula ipse auertit. Talis custos piorum proponitur hic Deus. Ille non solùm peruigil est, sed & seruator. vt rectè dixerit ille: ἵδμεν ἀπενόητομα ἵδμεν ἡμελημύνομα παρὰ θεῶ. πάντα σκοποῦν ὁ ἀκούμνητ' ὁ φθαμὸς. πᾶσι wάρεσιν ἰκποείσω ἰνάσθ' τὴν σωτηρίαν.

Qui custodit Israël.] Obseruemus hanc particulam. Promittunt regi suo custodiam Dei, & nominant illum שׂוֹרֵי יִשְׂרָאֵל: id est, custodem Israël: populi videlicet illius, cuius erat bella gesturus. Ergo admonemur tum rectè sperari, fore Dominum principis aut regis custodem, quando subditi sic sunt comparati vt Dominus sit ipsorum custos.

Dominus custodiet te.] Obseruandum est in reliquis istis versibus, quanta diligentia Spiritus sanctus custodiam Dei inculcet. Primùm verbum custodiendi quinquies repetit. Deinde, securitatem ab omnis generis incommodis promittit, ab æstu Solis, à frigore lunæ, à quouis malo, à periculis vitæ: quorum innumera sunt illis timenda mortalibus, præsertim qui ad bella egrediuntur. Tertiò, deductionem ac reductionem, quasi ouicula eundo ac redeundo custodiatur. Hæc autem nō sic sunt accommodanda Dauidi, quasi ad ipsum tantum pertineant: sed spectandum est consilium Spiritus sancti: qui ista fidelibus eam ob causam proponi voluit, vt sint illis prouocamenta ad imitandum Dauidis fidem, vt & ipsi consimilem cælestis speculatoris ac protectoris custodiam experiantur.

PSALMVS CXXII. CANTICVM GRADVVM DAVID.

Um esset arca Dei per Dauidem Hierosolymam translata, & in tabernaculum collocata, compositus est hic Psalmus, & populo Israël diebus festis secundum legem ad domum Dei ascendenti accommodatus. Excitantur autem ascendantium animi, vt ascendant cum gaudio, & ciuitati Hierusalem optima quæq; presentur.

- H**AETOR, cum dicunt mihi, Ad domum Domini ibimus.
1. Stantes erunt pedes nostri in portis tuis Hierusalem.
 2. Hierusalem edificata est vt ciuitas, ad quam conueniatur simul.
 3. Vt illuc ascendat tribus, tribus Domini, concio Israël, ad celebrandum nomen Domini.
 4. Quia ibi collocata sunt tribunalia ad iudicandum, tribunalia domus Dauidis.
 5. Optate pacem Hierusalem, prosperè agant, qui te diligunt.
 6. Sit pax muris tuis, prosperitas in palatjs tuis.
 7. Propter fratres meos & proximos meos hoc nunc loquor, vt pax sit in te.
 8. Propter domum Domini Dei nostri: quero hoc, vt bene sit tibi.

In portis tuis.] Sic est in Ebræo. Græcus verò & vulgata Latina, In atrijs tuis, legunt. Sic reddidit Hieronymus.

PP Ad quam

OBSER. Vers. 1.

OBSER. Vers. 2.

OBSER. Vers. 3. & 4.

OBSER. Vers. 5. 6. 7. & 8.

VERS. I.

LECTIO. Vers. 2.

placare possent... ac credentium... io perdurent... pijs versu... loquor, illi... De... id est... odio quod... e verè pacis... sibi negotium... ferociam illor... nantur. Id in... erò contra sic... itiosum & per... verueritas tur... in malitia sua... euerans, nullo... n providentia... um. ram. qui custodi... fraelem. uam. p... & vsq; à versibus 7. & 8. & Iustinian. Rel. ad similitudin... nam aliquid au... montes, legend... sitas, vt leg... abbat, vnde cor... : Leuo, inquit, au... ur. Auxilium non... osus verus Deu... ba sunt sacerdo... & fiducia diuin... t. Quoniam hu... terre condicere... missurus est, vt... Habes enim cu... Israël em. Quali... nniū prosperi... vigilantissimus... ad manum dexte... siseū ad dexte... arum regionū... de & Israël, m sol non lada... am illis, quibus... Dei exprimit... o, custodiet anim... id est,